

vidi censerunt, in rationalem nempe, naturalem, et moralem: quemadmodum etiam et prisci philosophi suam philosophiam partiti sunt. His enim rationis, naturae, et morum documentis sic Trinitatis mysterium abundat, ut non solum, quae rationi sunt conformia, sed quae illam transcendunt, doceatur mens humana cognoscere. Unde non legitime in hoc mysterio argumentabimur a Dei unitate ad unitatem personarum, nec a Trinitate eandem personarum ad Trinitatem sempiternae naturae, quae una et simplex est, nec ab identitate eiusdem ad personarum identitatem inter se, iuxta illud vulgatum axioma: Quae sunt eadem uno tertio, sunt eadem inter se. Sed multo maiorem nobis iniciet admirationem, si in hoc Trinitatis mysterio iuxta naturalis philosophiae leges ratiocinari velimus: longe enim aliter hic se res habet, ubi natura stupeante universa, sine matre Filium eiusdem cum Patre substantiae, atque illi coaeternum, et Spiritum sanctum divinitatis eiusdem consortem profitemur, qui non genitus, sed, ut more Theologorum loquar, spiratus dicitur, hoc est per actum voluntatis ab utroque procedens. Philosophia denique moralis in Trinitatis mysterio tam sublimis est, ut nullo modo cum ea valeat, quae ab insignioribus philosophiae magistris, et auctoribus tradita fuit, comparari. Illa enim naturae unitas, quae inter divinas personas est, optime nobis declarat animorum unitatem, et concordiam, quae debet esse inter homines, (Joan. 18): *Rogo te Pater, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Et sicut personarum divinarum unitas non est alienius in Deo quam confusio, sed quaelibet illarum locum suum iuxta ordinem originis retinet, illa charitatis unio, et voluntatum inter homines vera coniunctio non afferret confusioem, vel ordinis perturbatioem, pari ab omnibus expetita dignitate, sed moderate se unusquisque intra meritum propriis limites continebit. Quod cardinalis Toletus (sup. Joan.), Christi verba declarans: *Rogo te Pater, ut sint unum, sicut et nos unum sumus*, his verbis sapienter explicuit: *Quemadmodum unitas Trinitatis non confundit ordinem, sed unus est Pater, alius est Filius, alius Spiritus sanctus; Filius a Patre, Spiritus sanctus ab utroque, Pater a neutro procedit, ita haec unio charitatis non confundit ordinem fratrum.*

Ut tamen huic officio, aliisque christiano homini necessariis operibus satisficiamus, transire debemus per illud spatium, seu intervallum, quod inter unum, et alterum atrium decem cubitorum latitudinis, et centum longitudinis profundebatur, hoc est per decem praecceptorum, quae Decalogus continet, observantiam, quam Christus centuplum accepturam esse promisit. Hoc est enim, quod suos Apostolos Trinitatis mysterium praedicaturos milites Dominus facere iubet, dicens (Matth. 28): *Docentes eos servare quaecumque mandavi vobis: non enim solum credere, sed etiam facere, non fide solum, sed virtute, ac rebus operibus institui, qui sibi adhaerent, Christus voluit: quia Fides, ut postea dixit Iacobus (c. 2), sine operibus mortua est.* Huius ergo nostri Serva-

toris implendo praeepto, cum eius esset societas, et praesentia mirum in modum proficua, consequenter ait (Mat. 18): *Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, quod ille sanctae praestat Ecclesiae, non minus in Sacramento, quam in coelo se praesentem exhibens instituto sacerdotio, quo panis, et vinum in eius corpus, et sanguinem convertitur, unicum nostri itineris viaticum, ac spiritualis vitae alimentum, quo sustentati Evangelicae legi observantiam exhibebimus, et gloriam nobis ab illo promissam expectamus. Sed ut iura dicendi finem faciam, sicut per atria templi disposita erant gazophylacia, in quibus templi thesauri custodiebantur; ita Christus in Ecclesia sua septem sacramenta constituit, ubi multo maiores, ac pretiosiores opes, immensa videlicet Christi merita, et infinitus pro nobis effusus sanguinis thesaurus adservantur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Nonnullis veteris Testamenti copiose, ac docte figuris enodatis, Christi verba: Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, iterum elucidantur, ac potissimum Dei unitas, et personarum in eo Trinitas aperitur.

Vas aeneum aqua plenum, quod ab amplitudine, et aquae copia *mare fasile* vocavit Historia, prae templi foribus positum fuisse legitimus in Paralipomenis (lib. 2. c. 3. 4. 5. 6), hocus duodecim impositum, ex quibus tres Septentrionem, tres Occidentem, tres Meridiem, et reliqui solis ortum intuebantur. Intra templum candelabrum erat plurima luce conspicuum, et ad Sancta Sanctorum magnum velum expansum, quo licet arca contegerentur, aliquantulum tamen apparebant; at in sanctuario arca vestibus aureis ornata servabatur, ubi tria illa pretiosissima manera, Moysis virga, legis tabulae, et manna, quod coelestis lapsus fuerat, custodiebantur. Haec veteris testamenti figura praesentis homiliae fundamentum erit, nostrique sermo fons: unde, quae de mysterio sanctissimae Trinitatis dicturi sumus, quo purius valebimus, haurientur. Quid ergo singula praeseferant, breviter detegamus. Amplum illud aquae vas, seu mare, quod ante fores templi erat, nonne egregia est imago baptismatis, quod ad militantis Ecclesiae catholicae limen eius conditor Christus positum esse voluit? Ideo namque Theologi baptismum reliquorum sacramentorum ianuam appellant. Et sanctus Evangelista in ipso ingressu, ac principio Evangelii, quod hodie cantat Ecclesia, Christi verba proponit, dicens: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quibus verbis non solum innuitur, Ecclesiae ianuam esse baptismum, verum etiam universi spiritualis aedificii, quod sui

sanguinis impendio Christus extraxit unicum fundamentum. Ignotum nemini esse arbitror, urbem Venetiam in aquis aedificatam: unde cum fundamentorum apertio, et erectio magno sumptu, et laboris sit, ipsa Venetorum respública volentibus domum extrahere solebat illi suis impensis ponere fundamenta; at reliquam aedificii molem, qui fabricae dominus erat, debebat erigere. Non secus in spirituali Ecclesiae catholicae aedificio, quod baptismi aquis fundatum est, videtur contingere, ubi Deus sumptum praebet ad regenerationem florum Dei, virtutem sanctificationis impendens baptismatis aqua: illa enim cum sanguine ab eius sacratissimo latere in cruce pendens effluit. At postquam aedificatus fuerit super firmam petram, erectus fundamento baptismatis, opus est, ut superaedifices non solum Christi, sed tuo etiam sumptu, cooperans exercitatione virtutum, ut coeplum ab eo aedificium, tribus illis minutum et ornatum virtutibus, fide, spe, et caritate consurgat. Huius enim aedificii, ut docet Augustinus, fundamentum est fides, et pietatis spes, lectum vero, et aureum lacunarum caritas; ac si diceret, accedentem ad Deum, otiosum esse non oportet, sed credentem, et sperantem, et in opus a Deo inceptum diligenter incumbere.

Boves, quibus nitebatur mare fasile, in omnes orbis terrarum partes respicientes, nobis innunt duodecim Apostolos, qui nullis laboribus fracti, Dominicae vineae boves indefessi ad omnes regiones baptismi sacramentum, ubi Patris, Filii, et Spiritus sancti fides proponitur, deportantes, omnibus provinciis, quas singuli, ante quam ad Evangelici verbi promulgationem egredere, per Spiritum sanctum acceperant, Trinitatis arcanum, et omnia nostrae fidei mysteria praedicarant.

Candelabrum undique collucens, fidei, quam profitemur, figura fuit: nam, ut inquit Eusebius Emisenus (in symbol.): *Fides est religionis catholicae lumen.* Est et columna illa ignea Israelitis in deserto praelucens, quae Christi fidelibus praevia, ab omni liberali errore credentes, et in terram promissionis bonis operibus sociata perducit. Est in obscuris humoribus ignorantiae tenebris per medias huius maris, et saeculi praesentis undas tuta gubernatrix, et praecinctus in Ecclesiae navicula pharus, viam navigationis nescientibus indicans, et felici honorum operum remigio in portum aeternae salutis inducens. Est tandem fides Ecclesiae Romanae vexillum, non illi, qui in praeculis Romani Imperatores ulebantur absimile, quoniam ut hi duas pro militari signo aquilas usurpabant, quarum visus adeo perpicax, et constans est, ut uno oculorum actu ardentis solis radians prospectent; sic fides tantae perspicacitatis est, ut in ipsam Dei naturam oculos figens immobiles, Patris innascentibilitem, generationem Filii, et Spiritus sancti processionem, essentiae unitatem, et Trinitatem personarum, et divinarum hypostasem consubstantialitatem, non utique connivens, non carligans, non denique ullo modo haesitans credat, suspiciat, admiretur. Huius lucis absentia, et fidei defectus gentiles variis, ac plurimis

erroribus circa Dei cognitionem involvit, adeo stulte, ac late, ut omnes fere nationes, deos quos adorabant, sibi similes, et humanis laborantibus affectibus effinxerint: quod Clemens Alexandrinus (lib. 7. Stromat.) a Xenophonte desumptum retulit. Nam ab Aethiopiis nigri, et depresso naso, a Thracibus rufi, ac rubicundi, ab Arabibus immanes, ac vultu feroces colebantur. Sed maiori me afficit admiratione, quod non solum ignari, rudes, ac barbari, sed ipsi quoque philosophi, qui humanae sapientiae succus, et gloria fuerunt, in alium priori non dissimilem errorem lapsi, cum hominem ad imaginem Dei credere debuissent, Deum ad similitudinem, et imaginem hominis putaverunt: unde pro varietate vitulorum humanum varios quoque deos concipiebant, et efformabant: nam imperium, et potentatem Regum animadverentes, Iovem potentiae Deum esse voluerunt, et considerantes militem, Ducemque fortitudinem, Martem fortitudinis nomen colerunt; eloquentiam vero, et doctrinam sapientium hominum admirati, Mercurium, et Minervam utriusque rei auctores adorant. Ex hoc ignorantiae, ac stultitiae principio alii orti errores fuerunt: nam cum vellet per creaturas corrigere Creatorem, exempli vitia Archelypo adscribebant, ac propterea quoniam hominum potentatem comitatur violentia, Iovem opinati sunt raporem; et quia militare robur consequitur insolentia, Martem crediderant insolentem; ac denique quod sapientia parere solet arrogantiam, Mercurio illam attribuerunt. Gravis profecto haec erat in Deum iniuria: unde ille per Isaiam de hac hominum stultitia his verbis queritur (cap. 6): *Cui assimilastis me, et adaequastis, et comparastis me, et fecistis similes? Ubi Propheta secundum litterae sensum verba facit adversus idololatrias, qui rerum omnium auctorem lauta iniuria cummulaverunt, ut hominibus parem, aut similem putantes, humanis eum affectibus induerint. Quare ne talis committatur impietas, respiciat in templo militantis Ecclesiae candelabrum, in quo perpetua fidei lux in media tantorum errorum caligine praefulgat.*

At quoniam fidei lux non evidenter divina mysteria revelat, in eius rei signum, ante Sancta Sanctorum velum extenditur; unde vero dictum a Dionysio (de div. nom.): *Impossibile est radium divinum nobis illucere, nisi in vitale sacrorum voluminum circumvelatorum.* Egrege quoque hoc declaravit, quod Sponsus dixit Sponsae (Cant. 6): *Averte oculos tuos a me, quod ita ab aliis vertitur ex Hebraeo: Averte oculos tuos a me, ne me recte intueantur.* Quasi diceret, Ecclesia mea, quae mihi sponsa es dilectissima, deflecte a me curiositatis oculos: nolo enim dum in via es, me rectis oculis aspicias, sed obliquo lumine, ac sublestri luce, non facie ad faciem, quod patriae proprium est (Cant. 2): *Sed prospiciens per fenestras, prospiciens per cancellos: non enim patentibus foribus, sed per ostii rimas in aenigmata, et speculo fidei, dum in terris degis, videre me potes.* Huius rei imago fuit quod legitimus (Numer. 14), Deo sic praecipiente sacerdotibus: *Nulla curiositate*

videant, quae sunt in sanctuario, ne forte moriantur. Unde in historia Regum, cum ad Bethsamitas Arca foederis delata fuisset, quid inclusum haberet, illis prospicere volentibus, septuaginta hominum millia fuisse intertempa narratur. Quamobrem caveo quoes, quae in sanctuario Trinitatis grandia mysteria latent, curiosos exquirere, ne forte moriantur, iusto vestrae lemeritati inflicto supplicio caecitatis, quae solo fidei obsequio illuminatur: nam qui liberius, quam ipsa praecipit, vagabitur, scrutans Dei maiestatem, a gloria divini numinis opprimetur. Vix aequi viribus poterimus haereticorum errores, in quos illi abiere praecipites, quod fidei lumine destituti humano ingenio insolenter fidere voluerunt. Hinc eorum quidam non personarum Trinitatem, sed unitatem in divinis esse opinati sunt: alii quaternitatem in Deo professi divinum eius naturam a tribus personis separaverunt, impie, ac stultissime in veritatis agnitione delirantes. Nam fides beata Agnete, similis est annulo. Annulus, inquit, *fidei suae subarravit me*. Annulus namque si aereus, digitum laedit, et torquet; si laxior sit, elabitur. Unam enim in Deo tantum si velis profiteri personam, vulnerabit huiusmodi error mentem tuam, quae annuli digitus index est, quo mysteria divinitatis indicantur; at si longius iusto velis progredi, et quaternitatem in Deo fateris, defunct annulus laxitate veritatis, et digitus, hoc est, intellectus tuus, non solum deformis, et inordinatus, sed ad tractanda divina prorsus ineptus, et impotens fidei amissione reddetur. Ne igitur tam pretiosus pignoris iacturam facialis, fratres charissimis, neve tam eximio divinae lucis splendore vester persringatur aspectus, vult Deus ante Sancta Sanctorum protendi velum fidei, ut per illud divina spectetis mysteria, non assentientes inutilibus argumentis, et rationis humanae coniecturis: sapienter enim monet Ambrosius (*lib. 1. de Trin.*): *Aufer argumenta, ubi fides quaeritur: tam dialectica loquantur, piscatoribus creditur, non dialecticis.*

Post velum erat arca illa mystica, quae Moysis virgam, legis tabulas, et manna continebat, ubi mysterii quod tractamus, nobis sese offert imago. Nam per arcam, quae una erat, divinae essentiae unitas, et per tria, quae diximus in arca contineri, tres divinae personae praesignantur. Ignari huius veritatis gentiles, tot deos proflicebantur, et ex solis terrae diis triginta millia ceterorum, quemadmodum narrat Hesiodus, de quibus ita sordide, atque humilliter sentiebant, ut pro sola domus custodia demum unum ad ostium, alium ad cardinem, tertium ad limen collocarent, ut Augustinus (*de Civit. Dei lib. 4. cap. 8*) memoravit. Quin etiam, quod admiratione maiori, immo et irrisione dignum est, ut Plutarchus scribit (*in vit. Alex.*), cum ille a Lacedaemonum Senatu peteret in numerum referri deorum, respondisse Senatui: *Siquidem Alexander cult esse deus; deus esto. Quid aulem stultius, quam credere, quod esse deum, vel non esse, a mortalium voluntate penderet? Religio ergo Christianorum, quae longissime abest a tanta insipientiae, et impietatis absurditate, Deum cre-*

dit, ac proficitur unum, qui adeo unus est, ut sub unius ratione nulla sit in rebus creatis tam perfecta unitas, quae Dei simplicitatem, et unitatem pertingere valeat. Hinc inquit Gregorius Nazianzenus (*lib. 2. Chron.*): *Hoc Deus universas creaturas superat, quod unica essentia simplici complectitur infinita attributa. Rem enim creaturam perfectio unitatem habet advententem, et externam, qua simul in uno eodemque subiecto sunt, et in eo convenientes ununtur; ast divina unitas perfectionum ita est Deo intrinseca, et innata, ut quidquid in illo est substantia, sit simplex omnino, actusque purissimus, ab omni physica, vel metaphysica compositione separatus. Unde sapienter Augustinus: *Noli de Deo infra cogitare, putans partem illius esse iustitiam, partem misericordiam: totus enim est misericordia, totus iustitia, totus omnipotentia, totus sapientia, totus bonitas; qui tamen sub tot attributorum varietate essentialiter est simplicissimus.* Singularum huius mysterii ab ipsa rerum natura possumus accipere similitudinem: nam, ut Plinius (*lib. 37. cap. 6*) scribit, ad cuiusdam fluminis ripam invenitur lapis pretiosus nomine, *Opalus*, magna colorum varietate tam mirabiliter et excellenter discretus, ut ab una parte inspectus, totus adamanti similis fulgeat; aliunde si cernatur, viridis, et smaragdus par emicet: ac denique aliter inversus, rubens totus, et carbonculo non impar appareat: quod in Deo, eminentius tamen, reperitur: nam cum sit natura maxime simplex, et unus, est tamen in illo attributorum, et virtutum multiplicitas: quippe, ut dixit Sapiens (*cap. 7*): *Est in illo Spiritus intelligentiae unicus, multiplex, omnem habens virtutem.* Propterea cernimus Deum Moysi visum pyropo similem, tanquam ignem accensum, quo significabatur divina iustitia, qua vindictam de populo Israelitico sumere volebat, nisi Moyses intercessisset; Ioanni (*e. 4*) autem in Apocalypsi non igneo, sed viridi colore Deus est visus smaragdus similis: ait enim, *Similis visionis smaragdi*: quo symbolo docet Deum totum esse benignitatem, totum esse misericordiam, nam color viridis ulgum spem est, et indulgentiam. Itaque sine ullo praedidio, aut incommodo multiplicitatis virtualis omnium attributorum, quae de Deo dicuntur, perfectissimam ille naturae suae retinet unitatem, quam, ut exposui, significabat Testamenti veteris arca, quae una erat.*

Sed iam de tribus, quae in illa servabantur, breviter dicamus: sanctissimae namque Trinitatis referebant imaginem. Virga Moysis, figura aeterni Patris erat, virga enim potestatis, et auctoritatis est signum: legis tabulae Filium praesignabant, cui attribuitur sapientia, ad quam potissimum pertinet regulam recte vivendi praescribere: manna representabat Spiritum sanctum, cuius est propria suavitas, et dulcedo, ac propterea dicitur ab Ecclesia, *Dulcis hospes animae, dulces refrigerium.* Magnam tam priscae Ecclesiae Patribus, quam notericis auctoribus attulit admirationem, quod Gentium philosophi de hoc sublimi, et tam occulto Trinitatis mysterio litteris traderent: nam, ut refert Cyrillus (*contra Iulian. lib. 8*),

Plato dixit: *Essentia Dei progreditur usque ad tres hypostasias, sive substantias, quibus verbis tres in Deo esse personalitates edocuit: in cuius etiam libris, ut supra diximus, Evangelii Ioannis verba: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*, se legitis recenset Augustinus (*de Civ. Dei*). Iulium praeterea philosophum Trismegistum, qui, ut historiarum refertur monumentis, Pharaonis temporae aetate praecessit, dixisse constat de Deo loquentem: *Erat semper mens mentis luminosa, et Spiritus omnia continens.* Quid autem est dicere: *Erat mens mentis luminosa*, nisi quod Concilium fateretur Niceanum, et sancta Ecclesia: *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero?* Deus enim de Deo, Filius est a Patre procedens: *Et Spiritus omnia continens*, Spiritus sanctus est, de quo dictum legitur (*Sap. 1*): *Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*: licet hunc locum aliter quidam interpretentur: Iustinus Martyr, et Clemens Alexandrinus de hoc agentes mysterio scribunt, a rege Tollo consulti, et interrogati oraculum Serapidis quid ne Deus esset, et ab eo responsum his verbis:*

Principio Deus est, fuit sermo, et spiritus idem: Sicut et ter tendentia in unum:

ubi fatur Deum naturam unam, et triam esse personam. Credere tamen non debetis, Ethnicos philosophos solo naturae lumine hanc potissime assequi cognitionem, sed vel peculiariter divini numinis illustratione, quemadmodum Sibyllae, vel Aegyptiorum contubernio, quibuscum versati sunt: Aegyptii enim, quod captivos filios Israel penes se habuerint, aliquid fidei catholicae, etsi subobscuras sententias cernere, et aliis pariter ostendere poterunt.

Sed missa facientes veterum philosophorum testimonia, quae in hac re non tanti momenti habentur, sacrorum voluminum auctoritates ad huius mysterii confirmationem proferamus. At qui ut antiquum illud, quod ab angelis in Dei gloria recitari audivit Isaias, et quo Deus natura unus, et personis trinus, ab eis significabatur, conclamantibus (*Isai. 6*): *Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*, nec non Abrahae confessionem, quando tres viros hospio accepit, et tres videns, ut ait Glossa, *unum adoravit*, ut inquam haec, et alia superior adducta silentio pereurram, recordamini fratres primum illius vitis tres progignes habentis, quam magus Pharaonis pincerna, Ioseph vidisse narravit: id enim expressum est Trinitatis argumentum, ubi una existente natura, personae tres sunt aequales, atque conformes. Tollite praeterea oculos ad manum illam, quam rex Balthasar vidit tribus digitis in pariete sententiam suae moris scribentem: manus enim, quae una erat, divinitatis significat unitatem; tres digiti numerum personarum insinuant. Quo symbolo digitorum est usus Isaias (*cap. 4*) his verbis loquens de Deo: *Qui tribus digitis appendit molem terrae*, id est tres sunt in Deo personae, quae quidquid in terra est, pondere, numero, mensura sustentant, et moderantur. Dictum in

haec quoque sententiam fuerat (*Prov. 30*): *Per tria moxerit terra, et quantum sustinere non potest*: nempe tres sunt, et non plures in Deo personae, quarum potestas, sapientia, et amor coelum, terramque conservat, gubernat, et fovet: tres sunt, penes quos est auctoritas iudicandi, qua contra regem Balthasarum, et adversus omnes impios sententia profertur. Verumtamen quoniam apta est a digitis, et manu desumpta metaphora, eam praesenti mysterio sic convenire monstramus. Tres in manu sunt digitus, quibus ad scribendum usa fuit manus Balthasari visa, primus vocatur pollex, secundus index, tertius medius, unde convenienter per eos tria in Deo supposita denotantur: nam per pollicem ita dictum, quia pollex fortitudine, satis proprie Pater innuitur, cui potentia, et fortitudo attribuitur; per indicem ad iudicandum vocatum, Filii significatur, ad quem sapientia pertinet, quae visum errantibus indicat: per digitum medium declaratur Spiritus sanctus, qui personaliter est medius Patris, et Filii amor, et tanquam vinculum utriusque, ac nexus, per quem Pater, ac Filius mutua charitate iunguntur. Unitas autem naturae, quae tribus constitit personis, eadem manus, et digitorum similitudine patere potest: nam sicut tres digiti adhaerent manui, et ab ea tanquam a radice rami virtutem hauriunt, ita divinae personae una eademque naturae unitate copulantur, et quidquid virtutis in singulis est, a communi natura divinitatis habent. Haec etiam mysterio praecleara convenit, quod nostri Nicolaus Lyra, et Galatinus scribunt de Iacob, qui sub scala dormiens tres lapides capiti supposuerat, quos tamen a somno excitatus unum esse comperit, ut ex ipsis sacrae historiae verbis colligi videtur, ubi scribitur: Nocte posuisti lapides, et postea invenisse lapidem; qua in re, ut dicitur placet auctoribus, Iacob revelatum fuit Trinitatis arcanum, unitas nempe naturae, et suppositorum ineffabilis Trinitas. Ad rem quoque facit, quod nonnulli Hebraeorum de Davide commemorant, qui cum adversus Goliath tres lapides accepisset, unum ex tribus factum post victoriam partem comperit, sicut ab antiquissimis Hebraeorum traditum, Nicolaus (*in primo Regum*) commemorat. At, quod mirabilis videri potest, ut alii scriperunt, in medio lapidis, quod David prostravit, et intererit Goliathem, inventum fuit sanctissimum illud nomen Iesus, quo non solum Trinitatis, sed incarnationis mysterium expressum fuit: nam in medio illius lapidis nomen Iesu reperitur satis liquide inhaebat, fore aliquando, ut media Trinitatis persona, quae iuxta ordinem originis Filius est, hominis naturam assumeret, et nomine, quod est super omnia nomen, vocaretur. Superioribus addidit, a paucis animadversum in fidem eiusdem mysterii optimum Exodi testimonium, ubi idem Trinitatis sacramentum ostenditur: nam cum ait Deus (*ibid.*): *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, hoc nomen mihi est*, nomen singulariter positum naturam unam, et trina illa repetitio nominis Dei tres eisdem deitatis personas declaravit. Praeterea dierum, et annorum ple-

nus Abraham praesertim Patrem aeternum, quem sacra Scriptura antiquum dierum appellat, non quod Filio, aut Spiritu sancto sit prior, sed quoniam eorum est principium, et origo, et ipse a nullo procedit: Isaac ad mortem usque obediens Filium, qui fuit obediens usque ad mortem, optime repraesentat: et Iacob pulchrae Rachelis amator Spiritum sanctum demonstrat, qui tam persona, quam natura amor est, et animarum sponsus amantissimus.

Quae propositae sunt, et explicatae auctoritates praesertim veteris Testamenti umbram, quippe non ita priscorum Patrum aetate, sicut et nostra, Dei mysteria pandebantur: Sed in figura, ut ait Paulus (1. Cor. 10), omnia contingebant illis. Gratiae autem tempore veritatis manifestus, et expressus edocetur: unde Ioannes inquit: *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* Ab his enim tribus divinis astris in coelo testimonium dantibus, omnia gratiarum, et bonorum fluentia in animas iustorum defluunt, et quicquid sub coelo est, viget ac regitur, non diversa, sed una potestate, pari sapientia, conformi voluntate, ac naturae eiusdem simplicissima virtute. Et licet revera *alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.* non tamen aliud, sed idem: non diversa, sed eadem in omnibus, ac singulis divinitas: quod magister veritatis Christus docuit, et doceri mandavit dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti:* nam dicens, in nomine, unam essentiam, et reliqua subiungens, tres in Deo personas, et eorum nomina declaravit. Sed videtur mihi audire lectorem obicientem, quod olim a quibusdam Epicetolo philosopho dictum fuisse narratur: Multa de Deo, et praecleara quidem dixisti, quid tamen ille sit, haec tenus ignoramus. Sed quid ego hic melius respondeam, quam quod ille prudentissime respondit? *Si omnino ego, inquit, Deum declararem, vel ego Deus essem, vel ille Deus non foret.* Divus quoque Augustinus (de Trinit. lib. ult.) postquam, quae acuta, et diligenti industria perscrutari valuerat, omnia protulisset, tandem inquit: *Multa sunt, quae de Trinitate ineffabilitate dicuntur, non ut ipsa dicatur, alioquin non esset ineffabilis: sed ut illis dictis dici non posse intelligatur:* qui et alibi plane suam profiteretur infantiam, et se a tanto mysterio superari assertit his verbis, prudentia illius, ingenio, et modestia dignissimis: *Requiris a me, quomodo uno nomine tres appellentur? nescio, et libenter me nescire profiteor: quod Christus vult indicare, hoc solum scio, et quia in hoc Christianus sum, quia unum Deum in Trinitate confiteor; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA IX.

Christi verba: Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, latius explicantur, et variis testimoniis, atque exemplis essentiae in Deo unitas, et personarum Trinitas probatur.

Angelici Doctoris, et omnium Theologorum communis sententia docet, peccati vulnus tam impressam hominis animo relinquere cicatricem, ut nemo praeter Deum valeat illam amovere: quam mentis deformitatem theologi vocant peccati maculam, quae adeo serpit, et penetrat, ut nullo saponis, aut lixiviae genere, nisi Christi sanguine extrahi, aut abluatur. Unde per Hieremiam prophetam (c. 2) inquit Deus: *Si laveris te nitro, maculata es coram me.* Est enim peccatum litura deformis, quae nostrae animae candori sic adhaeret, quae non potest abradi: est servitutis tam impressum stigma, et peccantis animae visceribus sic adhaeret, ut nisi Deo omnipotentiae manus remedio admoveat, infelix tam diu compuncta stigmatum, aeternae servitutis mancipata remaneat. Huius miserae labis naturam (in Apocalypsi) Ioannes insinuat, cum peccatores ait diaboli habere notam: *Hominem, inquit, qui habent characterem bestiae.* Unde sanctus Basilius (super Psal. 48) ait: *Unusquodque peccatum cum proprio characterem manifestat faciens sui recordationem, in iudicium producit Deus.* Est denique peccatum vestigium delinquentis, cuius iudicio, quamvis non aliud addest testimonium, reus esse convincitur peccator, quemadmodum in huius rei figuram sacerdotibus Babel olim contigit, a quibus comedi, non ab idolo, sacrificia, et templi dona propheta declaraturus, illius pavimentum cinere iussit aspergi, quo illi postea, noctu u ingredientiess impressa reliquere vestigia, unde facile de furto sacerdos convicti fuerunt. Hoc ipsum sanctus ille Iob videbatur considerare, cum Deum alloquens ait (c. 13. et 14): *Vestigia pedum meorum considerasti:* hoc est, prospexisti Domine operum meorum vestigia, quae signata reliqui, dum veftita sum ingressus, appellando non licita. Ubi Iob manifeste docet, nullum esse peccatum, quamvis lingua peccatoris, aut manus, non moveatur, sed cogitatione tantummodo sine aliquo proximi detrimento committatur, quod peccantis animo veniat, aut mortiferum vestigium non relinquat impressionem. Quare sicut bellicum tormentum sulphure explosum, scopum, in quem dirigitur aliquando, non laedit, vel attingit, sed recalcitrans in torquentis pectus impingit, et interdum ictu conternit, aut vulnerat: sic malum proximo inferenda iniuriae desiderium, quamvis quod optaverat, non assequatur, affectu tamen peccati non caret, et lethalem in animam retorquens ictum, eam malae conscientiae labe reddit infectam. At cum nullum quidem, sive mortale, sine veniale peccatum sit, quod non animae notam inurat,

multo tamen id clarus, ac verius in primi parentis peccato dignoscitur: quandoquidem fide constat catholica, peccatum illius praeter propriam maculam, quam inobedientia, et gula contraxit, originem reliquarum fuisse macularum, et peccatorum originalium, quae in eius posteris continuata tanti mali propagatione redundarunt. Anima enim, quam Deus ad imaginem, et similitudinem suam creat, dum infunditur corpori, et carnem tangit parentis propagatam rebellibus, protinus miseram accipit labem, quae eius pulchritudo a Deo in creatione concessa deformatur, suique Creatoris oculis invisae. daemones manet stigmata notata, et addicta servitio. Ad huius ergo damni medelam iubet Christus, ut Discipuli baptismate abluant omnes peccatores, quoniam baptismus praeter habituale gratiam, quae delet peccati maculam, et pulcherrimam quoque notam affigit, quam theologi vocant characterem, proprium christiani hominis signum, quod ideo dicitur indelebile, quoniam a solo Deo, qui hominis animae illud inussit, deleri potest. Addit autem Christus: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti:* quoniam baptismus mirabiles effectus suos producit virtute, ac nomine trium divinarum personarum: Pater enim suum misit Filium, Filius baptismum instituit, et Spiritus sanctus se ipsum, et sua dona baptizanti communicat. Quamvis autem circa convenientiam formae baptismi per Christum attributae, varias scholastici theologi rationes assignent nostro proposito convenientes, aptissima tamen, et sufficiens est, quae ab imagine, quam Deus animae impressit, accipitur: eam namque ad Trinitatis imaginem creavit: *Faciemus, inquit (Gen. c. 1), hominem ad imaginem, et similitudinem nostram:* quae hominis cum Deo similitudo, et imago peccata collapsa, et deformata fuit. Unde illam reformaturus Deus praecipit, ut in baptismo, ubi anima suae restituitur formae, omnes Trinitatis personae, et communis essentiae unitas exprimat. Quemadmodum vero dum omnia creabantur, legitur in Genesi scriptum: *Spiritus Domini ferebatur super aquas;* sic etiam cum homo, qui a Graecis dictus est microcosmos, id est parvus mundus, foret reparandus, fertur super baptismi aquam universas Trinitas, dum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti labes peccati deleatur, et abluatur. Sabelliani haeretici haec verba, in quibus baptismatis forma praescribitur, perperam interpretantur, ut omnium haereticorum mos est, iuxta illud Isaiae (c. 1): *Vinum tuum mistum est aqua:* quod Septuaginta Interpretes ita verterunt: *Cavpones tui miscent vinum aqua:* id est haeretici perdidit sacram paginam interpretando, suorum errorum aquam cum vino sanctae Scripturae commiscuit; aut, ut Gaudentii (ser. 9. ad Neoph.) verbis utar, illam meram, et Apostolicam doctrinam adultera admixtione confundunt. Conantur enim Sabelliani per Christi verba probare, in Deo unam esse personam, quoniam, ut illi somniant, si personae in Deo plures existerent, Christus non in nomine Patris, sed in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti dixisset. D. Basilius (Ep.

74) eorum confutat errorem, et ex eisdem Christi verbis aperte colligit, tres divinas personas unam, et eandem habere naturam, quandoquidem, licet distinctae sint, uno Dei nomine vocantur. Hanc de unitate Dei veritatem si attente consideramus, ab ipso rerum omnium exordio diabolo invertente, atque impugnare, Deum autem suadere mortalibus, et in eorum mentibus constabiliter procurasse reperimus. Nam cum humani generis hostis Evam in paradiso tentavit, inter alia illud propositum memorabile (Gen. c. 3): *Erilis sicut Deus:* quam cum Deo aequalitate diabolistae primis parentibus suadere fortasse potuisset, etiam si dixisset *erilis sicut Deus;* sed quoniam dicens: *Erilis sicut Deus,* obiter etiam pluralitatem significabat deorum, quibus Adam, et Eva consent annumerari, plurali potius numero, quam singulari uti maluit. Praeterea illa pervicax contentio daemones cum archangelo Michaela habita, super indicando Spiritus corpore, ut refert Thaddaeus Apostolus (in sua Epist.): *Cum Michael archangelus cum diabolo disputans altercetur de Moyse corpore etc.* non alio respiciebat, nisi ut ab hominibus tanquam Deus Moyses coelestetur. Consuetudo enim, ut scribit Cartarius, apud veteres fuit, suos benefactores non secus, ac deos adorare, quemadmodum Saturnum, et Floram Italia coluit. Praeterea non ignorans diabolus, summis a Moyse beneficiis fuisse cumulatos Israelitas, quibus tam mari, quam terra eos fuerat prosecturus, minime dabitabat hos, qui vitulum erant adoraturi, facilius Moysi, ut beneficiorum auctori, tanquam Deo suo, cultum et reverentiam exhiberent. Haec ab causam tanta virium contentione satagebat, ut Prophetae corpus detegeretur, quod tamen ab archangelo Michaela, cuius nominis interpretatio est, sicut Deus, iussu veri Dei impeditus assequi non valuit, ne divinae naturae unitati tam insolenter, et iniuriose praecideretur. Sed ante haec tempora coeperat Deus tanto ire obviam incommodo, siquidem nullam a Moyse, dum totius mundi narrabatur historia, de angelis voluit fieri mentionem, ne hominibus daretur occasio, quemadmodum Theodoritus adnotat, angelos adorandi, qui nobilitate, ac pulchritudine ceteris a Deo creatis rebus praescelleret. Hoc etiam Moysi apprensus in rubo cavissus Deus videtur, qui victorias per Moysen obtinendas nunciaturus, non larum, aut palmam, quae victoriae videbantur magis convenire, sed humile rubum elegit, ut hominibus ex rubo idolum conflandi tolleretur occasio, qui ex lauro, palma, buxo, olivaeque, et aliis id genus nobilioribus arboribus facta idola venerabantur. Hac enim de causa quod miserabilis est, imagines etiam eius religioni valde convenientes, Hebraeis Deus interdixit, dicens (Exod. 20): *Non facies tibi sculptile, ut hab prohibitionem occasionem praeriperet idola colendi, pluresque Deos adorandi.* Sed nihil vehementius nunquam esse tantum, non plures Deos, mortalibus persuasit, quam indita menti nostrae ab ipso Deo lux, quae divinae naturae unitatem attingit, atque consequitur. Hinc certissimus a Platone, ut Eusebii Caesariensis (lib. 5. de

praep. Evang.) refert, cum ad tyrannum Dionysium scriberet, fuisse dictum: *In hoc cognoscet Epistolas meas*, quod in illis initium erit hoc nomen Deus, cuius nominis virtus magna mihi est manifesta, in reliquis vero Epistolis iocose Deos nomino, vulgi condescendens errori. Aristoteles (*lib. 1. Physicor.*) ait, agens de intelligentiis coelos gubernantibus, inter illas esse unam, quae supremum principium, et origo sit reliquarum, qui etiam, quod palam dixisset, *Non est Deus nisi unus*, accusatus, sibi fuga consuluit, ut Seneca (*lib. 6. c. 23. de vita beata*) retulit. Caelius Rhodiginus (*lib. 2. c. 2*), et s. Cyrillus (*in dialog. contra Julian.*) recensent dixisse Pythagoram: *Deus unus est*, non ut nonnulli suspicantur extra mundum, sed in se ipso totus in toto, omnes circumquaque considerans generationes. Narrat Iustinus Martyr, poenitentia ductum Orpheum, quod cum Ethnicis tercentos, et sexaginta Deos admisisset, filio suo, ne tam perniciosa erroris caligine involveretur, praeclucere postea voluisse his versibus:

Qui regit imperio terras huic respice solum,
Unus est, et per se existens omnia condidit unus.

Huic accinit Menander dicens: *Qui Dominus est vere semper omnium, et pater, hic unus colendus est Deus*. A Mercurio Trismegisto Deus vocabatur *Monas*, sive *Unitas*, quae est omnium principium, et radix. S. Thomas (*in lib. contra Gen.*) ait, apud veteres dei symbolum fuisse punctum, quoniam sicut in peripheria solum est unum punctum, in quo centrum circumferentiae consistat, nec fieri potest, ut aliud sit centrum; sic in mundo non est nisi unus Deus, nec alium esse praeter eum possibile est, quem admodum ipse per Isaiam (*cap. 43*) dixit: *Ante me non est formatus Deus; et post me non erit. Egyptii, qui variis imaginibus conceptiones animi significabant, ut Cornelius Tacitus, Diodorus Siculus, et Strabo scripserunt, ad insinuandam unam et supremam omnium esse causam, et rerum originem, pingebant hominem aspectu nimis gravem, a cuius ore prodibat ovum, cuius indumenta colore caeruleo, et auro infesta erant, cuius una manus sceptrum, altera zonam, sive circumulum tenebat. Hominis figura benignitatem Dei, ovum ab ore prodians mundi creationem significabat, quoniam non aliunde universa rerum natura, quam ab uno Deo verbo prodixit, ut David ait (*Psal. 32*): *Ipsa dixit, et facta sunt*. Caerulea vestis auro multo intexta coelestes orbis stellarum multitudine distinctos, et radiis solaribus illustratos indicabat; sceptri maiestas signum erat unius, ac supremae causae universae gubernantis; zona, sive circumulum praeseferebat amplissimum Dei providentiam, qua totum mundum continet, atque complectitur, ut Sapiens (*cap. 8*) scripsit: *Attigit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*. Septem Graeciae viros, qui humanae sapientiae principes censebantur, hanc ipsam Dei unitatem cognoverunt: nam, ut tradit Cyrillus Alexandrinus, cum factu retis piscator auream tripodem multis pre-*

fiosisque lapidibus ornata extraxisset, consultum oraculum fuit, cui tantum munus dari oporteret: quo respondente, datur sapientiori, ad Biantem philosophum, qui reliquos praecellere putabatur, munus daturum fuit; qui modeste se excusans illud Cleanthi, hic Periarand misit, atque ita ad reliquos Graeciae sapientes cum pervenisset, communi omnium consensu decedendum fuit, ut omnium causarum principii deferretur: haec utique re falentes Deum solum esse sapientem, cui res tanta deberet offerri. Haec humanae mentis lux, de qua Propheta dixit (*Psal. 4*): *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, multo magis sacram litterarum fulgore illustrata fuit: nam ut dixit Oseas (*cap. 1*): *Congregabuntur filii Iudae, et filii Israel, et ponent sibi metipsum caput unum*; hoc est, Deum unum omnium rerum supremum Principem. Nam si nequaquam convenit in bene ordinata republica plura capita constitui, ut placuit Aristoteli dicenti: *Non est bonum pluralitas principantium*, unde illius discipulus Alexander Dario, qui sibi didimidum Asiae offerebat imperium, respondit: *Nec gemini in coelo soles, nec in regno duo reges*; multo quidem minus convenit duos in mundo esse Deos, ut aperte fateatur David inquis: *Vere scio quia non est alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel*. Hinc idem Propheta gentium deos appellat daemonia: *Omnes, inquit (*Psal. 95*), Dii gentium daemonia*: quod alii vertunt, *Deiculi*: et Genebrardus interpretatur omnes Dii gentium *nilia*, quod nomen sanctus Apostolus Diis gentium imposuit, dicens: *Scimus quia nihil est idolum in mundo, et quia nullus Deus nisi unus*. Sed quoniam alicui fortasse videbitur difficile, dum Paulus nihil esse ait, *scimus, quia nihil est idolum*, cum ex ligno, argento, vel auro confici illud constet; facilis erit solutio difficultatis, si sancti Thomae (*in comment. Ep. ad Corinth.*) rationes, eadem Apostoli verba interpretantis considerentur. Prima ratio est: si divinum idolo inesse nomen opinatur idololatra, plane decipitur, quoniam idolum nihil habet deitatis; at si cultor idoli credit statuae ab hominis arte factae adesse vitae spiritum, non minus fallitur: quod aperte sic docuit Hieremias (*c. 10*): *Falsum est quod conflavit, et non est spiritus in eo*. Altera ratio est, qua idolum esse nihil, dicitur Thomas ostendit, quod quatenus idolum, eius praecipua natura est aliquid representare; sed idolum nihil omnino eorum, quae in rerum natura sunt, praesefert, quippe totum est pura fictio, et inanis machinatio, nec habet illud esse, si quod habet, praeter vanam decepti idololatrae opinionem, et phantasticam de nihilo imaginationem; quod esse imaginarium, et nihil esse, paria condescit sicut. Ex omnibus ergo, quae diximus, liquet Deum nostrum esse unum, ceteros vero *nilia*, seu *Deiculos*, nihili faciendos, pro Iudo, et ioco habendos.

Reliquum nunc est, ut aliqua divinarum litterarum testimonia proferamus, quibus personarum sanctissimae Trinitatis pluralitas ostendatur. Nam si humana mens, naturalisque ratio, postquam ad unitatis Dei cognitionem ac-

cessit, pergere ulterius non valet, sed ad tantae lucis fulgorem prorsus hebescit, colligat quoque necesse est, pro cognoscendo divinarum personarum numero, ad illa testimonia confugere opus esse, quae Deus in pluribus sacrae paginae locis revelavit, reliquis huius tractationis Homiliis copiosius inserenda. Nunc ergo pauca libemus, et in primis Moysis verba declaramus, quae in Vulgata interpretatione sic leguntur (*c. 20. Gen.*): *Eduxit me Deus de dono patris mei*: quod ex textu Hebraeo ita vertit Robertus Stephanus: *Errare, vel vagari me fecerunt dii*: quo nomine non deorum, sed personarum in uno Deo pluralitatem intelligere debemus. Quod autem legitur in Job, post modicum, *tollit me factor meus*, in Hebraeo est, ut advertit Genebrardus, *Deus factorum mei*. His testimoniis similia sunt, quae a Hieremia scribuntur (*cap. 23*): *Pervertisti verba deorum*: et ubi legitur in Isuae: *Deus enim sanctus*, Hebraei legunt, ut Galatinus advertit, *Heloin*, hoc est *dii*, vel *iudices*: ac denique ubi Vulgata dicit apud Isaiam, *Vidi Dominiun sedentem super thronum*, in Hebraeo legitur, *vidi dominantes*. Quo testimonio sanctus Athanasius utitur loquens de fide Trinitatis ad huius mysterii confirmationem. Non ignoro mihi obici posse, his omnibus per me nunc allegatis locis probari solum in Deo plures, quam unam, non autem tres esse personas: nam ad persudandum non esse unam, et singularem in Deo, sufficit, ut Sabellius aiebat, duas esse personas, quem numerum Plato confessus est, ut ait sanctus Bernardus (*ser. 2 de Trinit.*): *Unum, inquit Plato, inventi, qui cuncta operatur, alium per quem cuncta operatur, tertium autem inensur non potui*. Huic dubio fieri satis poterit, si verba eloquentissimi Ciceronis perpendamus: *Omnia duo, inquit, ad colendum tertium aliquid requirunt, et quasi nodum vinculumque desiderant*. Quibus sana verbis, quamvis ille, non de quo agimus Trinitatis mysterio, id enim prorsus ignorabat, sed de aeris elemento loqueretur, quo tanquam vinculo ignis, terra, et aqua cohaerent; nihil tamen aptius, vel convenientius nostro argumento dicere potuit: nam si in Deo personas admittimus duas, necessarium pariter est, non inter se dissideant, tertiam quoque esse personam, quae utriusque sit vinculum, et nexus, nempe Spiritum sanctum, quem divus Thomas *nextum* Patris, et Filii nominavit. Praeterea Dei illa verba: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, manifeste docent, tres in Deo esse personas, ut iam late in Homilia quinta docuimus: nam si hominis animam ad imaginem suam, atque similitudinem Deus creavit, et anima est una in essentia, et trina in potentia, quid inde, fidei lumine nobis praesuccente, debemus elicere, nisi animae auctorem Deum esse unum essentialiter, et trinum personaliter? ut exemplar Archetypo conveniat. Hoc etiam ante Christum adventum a Delphico oraculo, ut scribit Eragubius (*cap. ult. de perenni Philosophia*), summo Deo veritatis auctore illud cogente vera referre, dum interrogaretur ab Ethnicis, quisnam esset Deus, qui adorari deberet, in hanc

sententiam declaratum fuit:

Ne me unum supremum infelix ipse sacerdos
Seisiteris de sancto, ac supremo genitore
Et solus chara rebus magni induperantis
Et statu mundum qui strictum continet omnem.

Ex illustrioribus Rabbiniis quidam nomine Isaac Inzocar de mysterio Trinitatis loquens, ait: *In dicina essentia sunt tres coronae; et istae tres coronae sunt una corona unitae in unitate admodum perfecta*. Nam quemadmodum cernimus in supremi Saecordis, atque Pontificis tiara tres esse coronas inter se quidem distinctas, uno tamen tiarae insertas; sic in Deo, qui est una essentia simplicissima, tres reperiuntur distinctae personae, quarum singulis divina inest natura integra, et indivisa, quoniam non potest fieri, ut divinitatis scindatur natura, ut docet scriptis Solomus: quod acute docuit Toletanus Concilium decimum sextum, per haec verba: *Hoc capta Trinitas nec recedit a numero, nec captur numero*: nam tres divinae personae licet numerum efficiant tantum, non tamen de praedicatione quantitas, quippe omnes in Deo personae sunt unitas simplicissima, et ab omni multiplicatione numeri remotissima. Memorabile dictum est, quod scriptis innotissimae auctor gravissimus, singulari utens similitudine, ad illustrandam in mysterio nobis tam occulto mentis humanae caliginem, super illa Pauli Apostoli verba, *Vidimus nunc in aenigmate per speculum, ubi alii in aquam demisso crystalli speculo, dum lucet sol, et quiescit unda, tres protinus sibi similes soles, primum in coelo, alterum in speculo, tertium in aqua fulgere, quorum primum cum a se ipso solo lucem accipiat, et secundus a primo illiusretur, ac denique tertius a primo, et secundo communicatum habeat splendorem, non quidem tres sunt, sed tantum sol unus existit*. Ne tamen a comparatione solis recedamus, Cyrilli referamus exemplum, contemplantis in sole, Patrem generantem, in radio Filium genitum, et in calore Spiritum sanctum ab utroque procedentem: ait enim ille: *Imago Patris est sol, radius Filius, calor Spiritus sanctus*. Sol Patrem multa cum proprietate significat: nam ut sol ab alio sole non gignitur; ita Pater, quem theologi vocant ingenitum, ab alio non emanat: et sicut radius solis ab ipso nascitur sole, atque ei coaevus est; ita Filius a Patre non minus, quam ille nascitur aeternus. Quin etiam quemadmodum sol a coelo nunquam discedens suam diffundit lucem, qua terram calefacit universam, illamque foecundat; sic Pater in coelo semper manens, nec unquam ad nos in corpore descendens, suum misit Filium, qui fuit mundi lux, et ab utroque Spiritus sanctus egreditur, qui increatus calor est, quo Deus ipse animas fovet, atque vivificat. Praeterea, ut solares radii pretiosas uniones, aliasque gemmas, et aurum intra terrae viscera gignendo, et super terram plantas, et animalia produciendo indicant virtutem solis, a quo calorem accipiunt; sic Filius, et Spiritus sanctus mirabilibus in hominum genus collatis operibus, ad animo-

rum salutem, aeterni Patris potentiam, atque infinitam virtutem declarant, et praedicant. Ad huius demum mysterii veritatem in animis hominum roborandum placuit Deo ingenis tunc facere miraculum, cum magis Arrianae haeresis flamma grassaretur: nam in Nicaeno Concilio, cum Nicolaus perveraciam Arrii, atque proterviam, Trinitatis mysterium negantis adverteret, sic est coram omnibus Arrium allocutus: *Quare tibi videtur in creatore difficile, quod in creatura reperitur? Ecce laterem unum, invenies in illo tria distincta, ignem, aquam, et terram.* Quibus prolatis verbis, protinus a latere ascendere sursum ignis, fluere deorsum aqua, et terra inter digitos comminui visa fuit, canentis ad tantum Dei miraculum obstupescens: cui est honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X.

Essentiae in Deo unitas, et personarum Trinitas sacris litteris, et Patrum sententiis, necnon accuratis rationibus ostenditur.

Quemadmodum Hebraeorum gens inter omnes terrarum orbis nationes antiqua Dei cognitione gloriarum poterat, sic etiam cultu verae religionis in Deo convenienter honorando, variis sacrificiorum sua generibus praecellibat: nam sacrificium, quod placandum numini solebat offerri, hostia pro peccato dicebatur; quod pro gratiarum actione, hostia pacifica; pro petendis autem a Deo beneficiis hostia vociferationis; ac tandem sacrificium, quod solum ad honorem Dei fiebat, nec hominis respiciebat utilitatem, holocausti nomen habebat. Inter quae sacrificia hoc erat discriminis, quoniam eorum, quae prius recensimus, partem aliquam accipiebant sacerdotes; holocausti autem nequaquam erant participes, quippe totum igne consumebatur, iuxta Graecae vocis significationem: holocaustum enim idem est, quod totum combustum (*Deut. 4*): *Deus autem noster ignis consumens est.* Non aliter nunc videtur accidere in solemnitatibus, festisque diebus, quae sancta malet Ecclesia Deo, eiusque Sanctis consecravit: nam quaedam Sanctorum laudibus, aliae nostris petitionibus, ac impetrandis servantur commodis, qua in re sacrificiis veterum respondent, quae partim Deo, partim sacerdotibus applicabantur; praesens autem festivitas, sicut olim soli Deo holocaustum, ita pariter nunc Deo tantum, id est divinitatis unitati, et personarum Trinitati declarandis, insinuada mihi est.

In primis magis nobis irridenda, quam confutanda illorum opinio est, qui Deum negaverunt, ob id a Graecis vocati Atheistae, hoc est Deum negantes: adeo namque impie, et stulte desipiunt, ut eos mittat Iob ad animalia ratione carentia, quibus decentibus a tanto liberentur errore, ac instituantur viam ingredi veritatis (*Iob 12*): *Interroga, inquit Iob, in-*

menta, et docebunt te, et volatilia caeli, et indicabunt tibi: loquere terrae, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. Hinc Euripides poeta tantam putavit Milesii, et Theodori Cyrenensis dementia, Deum esse negantium, ut illorum impiam opinionem non fuerit ausus Athenis palam referre, ne ab Atheniensibus Areopagi iudicibus eam ob rem gravi plebretur supplicio, ut Plutarchus de placitis Philosophorum memoravit. Pythagoras, ut historiae narrat, quod libellum edidisset, quem inscripserat, *An Deus sit*, exilio mulctatus, et libellus combustus fuit, indignissimum, ac maxime perniciosum Atheniensibus iudicantibus in dubium revocari, quod erat exploratissimum. Sanctus Ioannes Damascenus (*de fide orthodoxa*) nullam esse tam angustam mentis, abiectaque ingenii hominem infamat, cui Deus hanc sui cognitionem non communicaverit, et cum natura ipsa penitus inseruerit: *Cognitio, inquit, quod Deus sit, ab ipso naturaliter est insita, quod Regit prophetae verbis optime convenit: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: ubi non solum unitas, sed personarum quoque Trinitas indicatur, ut docte interpretatur Tielmaonius. Sanctus Thomas (*lib. contra gentes*) duabus rationibus hanc de unitate Dei veritatem demonstrat, quarum prima est a priori, quoniam in causis ad unam supremam, quae non ab alia dependeat, et in agentibus, quae ad operandum moventur, ad unum primum omnium motorem per se immobilem, pervenire necesse est. Altera ratio est a posteriori, quae a mundi gubernatione, rerumque omnium ordine petitur. Mundi enim totius partes inter se contrariae existentes, quales sunt ignis, aqua, terra, et aer, nequaquam possent retinere concordiam, nisi aliqua superior vis esset, atque virtus, qua illa sic dissidentia coererentur: quo argumento ab ipsis supremae omnium causae effectibus desumpto, Ioannes Damascenus maxime nitebatur, ad Dei unitatem declarandam his, qui Deum esse inficiantur, mundumque casu factum affirmant, qualis Epicurus, et Chrysippus fuit. Quorum stultissimus error, et eos sequentium falsissima sententia facile refellitur, et improbat, cum id quod casu fit, caret ordine, et concentu illo, quem in mundo certimus, tam certos orbium caelestium motus, temporum varietates, opportunitam terrae fructibus pluviam, messibus aestum, aliaque innumera id genus, quae omnia cum Davide clamant (*Psal. 99*): *Ipsa fecit nos, et non ipsi nos*, ac si dicerent: advertite insipientissimi, quod antequam essemus, aut postquam naturam accepimus, manus non habebamus, quibus nos creare, vel tueri possemus: ipse est Deus, qui nos ex nihilo fecit, facta gubernat, et gubernata conservat. Hoc igitur, ut ostenderet Damascenus, convenienti nostro proposito adduci culicis exemplum, cuius formam naturamque si consideremus, nemo erit, qui non in tanti artificis rapiatur admirationem. Nonne mirabile est tam parvo calicis corpusculo tot inesse animae vires, quibus imaginatur, et aestimat, sensum habere commutem, irascendi vim, et concupiscendi facultatem? Nonne stu-*

pore dignum, tantulus cum sit, sensibus esse praeditum externis, quibus audit, gustat, tangit, odorat? Quo praesertim sensu sic valet, ut vini longo intervallo remoti odorem percipiens, protinus advolet, et in media noctis caligine, dormientium corpora invasurus, non clam ut proditor, sed palam, ut egregius bellator, praelium adversario indicens, propositis clangore antequam certamen ineat, horribiliter prestrepit. Lactantius Firmianus (*lib. de verit. et fd. relig.*), ad cognoscendum omnium rerum auctorem, contemplari iubet elegans regionumque palatium, quod in loco iuvio, et deserto constructum pluribus variisque marmoribus in sublime promineat, cuius parietes multis coloribus, et imaginibus fulgeant, tecta eboe aureisque lacunaribus resplendant, aulae multo auro, tapetibus intextis ornentur, suppellectili argentea, et aurea dispositi abaci praefulgeant, et laetae mensae dapibus onustae, innumeris videntur expectare convivas. Esset ne quispiam, licet natura, et ingenio agrestis, qui palatium ingressus, illico non diceret? haec auctorem habent, nec enim sponte sua, vel temere hic nasci poluerunt. Gregorius Nazianzenus (*lib. 2*) citharae similitudine in eandem rem utitur, quoniam nullus, illius audiens concentum, tam veorsus sit, qui pulsari a se citharam opinetur, sed statim ad citharoedum illius harmoniae artificem, mentem oculosque convertat. Philon Iudaeus ab imaginibus eleganti penicillo expressis petit huiusce veritatis exemplum, quoniam nullus est, qui imaginis venustatem, et picturae excellentiam contemplatus, non consequenter pictoris manum, et ingenium admiretur. Cum igitur haec mundi fabrica ornatissima palatia, locupletissimis auro argenloque splendentes abacos, opulentissimas dapes, atque omnia tantum generis pulchritudine, opulentia, et suavitate superet, fieri nequaquam potest, ut tantarum praestantiarum rerum suo careat artifice, vel auctore destitutur. Magnus Ecclesiae doctor Augustinus tam fixum animo id habebat, ut dicere non dubitaverit: *An vicam dum vivo, sed non, an sit Deus, dubitare audebo.* Sponsa in Canticis praeclare omnia, quae diximus, per metaphoram insinuat, cum Sponsum amatorem alloquitur ait: *Oleum effusum nomen tuum, per quae verba unguento comparat odorifero, quod ad omnes transmittit odorem si perfundatur.* Nam ut Zapetium, seu alius pretiosus odor, dum in pyxide, vel intra scrinia custoditur, odorem non communicat cum rebas externis, si autem extrahatur, omnes illius odore gratissimo recreantur; sic Deus antequam mundum condere, in se ipso manens virtutem continebat suam, quippe per opera externa se non communicaverat; unde creaturis nondum existentibus nemo illum poterat cognoscere, donec verbo sui oris potentissimo, universas condidit creaturas, et in eas fragrantem sui odoris effudit suavitatem: ideoque subiecit Sponsa dicens (*ibid.*): *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Hoc ductus odore David in Dei veniebat cognitionem, cum dixit (*Psal. 18*): *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiant firmitatem, et reliqua quae in illo*

Psalmo eleganter, et sapienter ab eo describuntur. Cuius etiam odoris vi, atque virtute attractus Paulus Apostolus Deum investigavit, quem per ea, quae facta sunt, intelligi posse sic scripsit (*ad Rom. 1*): *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: ubi per mundi creaturam intelligit hominem propter excellentiam, quam inter alias creaturas obtinet, vel propter convenientiam, quae homini cum omni creatura est: nam revera tantum creaturarum cernitur, etiam minimus agri flos, aut vilior herba Deum praedicat sui auctorem: et licet parva sit, et uno tantum constet folio, clarius tamen quam a Platone descripta plurima folia; Deum esse testatur, quippe quantumvis abiecta, vestigium tamen est creatoris, et manifestum summi artificis argumentum. Nihilominus non deficiit, qui Deum esse negaret, ut ait David (*Psal. 13*): *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus:* at licet insipiens, tamen non omnino stultus. Videri fortasse potest, quod non id palam proferat, sed animo conceptum retineat: quoniam si Iam impius sui pectoris publicasset cogitationem, non dubium erat, quin contra eum, ratione ac voce carentia saxa consurgerent, et tanquam amolae mentis prorsusque insanus, ventorum flatibus exsibilaretur. Verum speciali Dei providentia factum arbitror, insipientem illum suam sententiam non protulisse, ut certe inde argumento, ut aiunt Dialectici ad hominem, facile illum convinceremus: nam cum ipse secum mente tenens dixerit: *non est Deus:* idque iam evulgatum sit per universum orbem, et nullum praeter Deum cordium cogitationes penetrare valeat, evidens est Deum esse, qui id revelavit. Hunc igitur Deum unum, et non plures existere humana mens consequitur. Sed relictis rationibus, quae scholae videntur aptiores, duas tantum in medium adducam, quae facile ab omnibus percipiuntur. Primum, nemini est obscurum si duo essent, et non unus Deus, suam utrique ad propriam fore voluntatem; unde, uno creare angelum, aut quidvis aliud facere volente, aliter posset abnuere, ac reluctari; et qui sui voti compos evasisset, alterius depressa potestate solus haberetur omnipotens. At si obiciat, quod unus vellet, alterum pariter, ac necesse volturum, non utique iam libere, sed coactus secundus operabitur. Praeterea Deorum ista voluntas, aut esset concors, aut discors; si dissideret, quomodo omnium rerum vigeret ordo, ac tam constanter, et sapienter mundus gubernaretur? quod enim unus faceret, aliter vellet infectum, innumeraque incommoda, et absurda contingerent. Si autem illi Dei firma, et immutabili voluntate cohaerent, vel unus potuit mundum creare, moderari, ac tueri, vel ab altero pendens, eius potentiam, seu voluntatem expectavit; quod si sponte quidem sua, ac solus per se ipsum, quae diximus, valere exercere, socio non indiget, unde ille aliter omnino erit superfluus, ac minime necessarius. At si non potest illa praestare solus, non utique Deus est, cum a se ipso non habeat omnino creandi, et conservandi facultatem. His, alisque similibus rationibus Pythagoras persuasus maluit Athe-*